



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 5. Altera claßis patienter paupertatem tolerantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

ta hæc est egestas non bonæ monetæ, sed bonæ voluntatis? Hi tales omnes sanè calamitosi sunt, & deplorandi; sed non facit eos tales paupertas, voluntas facit, quæ si recta esset paupertate rectè vterentur, ut bonas artes, quibus ad diuitias peruenitur, & discerent, & factitarent.

S. V.

Altera classis patienter paupertatem tolerantium.

Altera classis vehit eos, quibus cum nihil desit, perinde est, abundare, & penuriam pati. Altè enim animo impresserunt illud:

Psal. 61.
11.

Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitia si affluant, nolite cor apponere. Hæc paupertas non in rebus, sed in animi virtute sita, meritò aurea vocatur;

Matth. 3.

quia beati pauperes spiritu. Cur beati? *spe,* quia ipsorum est regnum celorum: immò & re, quia talibus nihil accidit, quod eos contristet. Si dat diuitias Deus, accipiunt, & gratias agunt; si aufert rursus, bene contenti sunt; immò læti sunt; & hoc ipso adhuc diuites sunt.

Senec.
sp. 2.

Vel Epicuro fatente, *Honestata res est, lata paupertas. Illa verò non est paupertas, si lata est. Cui enim cum paupertate bene conuenit, diues est,* inquit Seneca. Ita

con.

constitutos esse omnes oportet, qui animo volunt esse tranquillo. Quisquis enim non potest æquè paupertatem ferre, atque opes possidere, semper in metu hæret, ne per vim aut fraudem amittat illud, in quo pacem mentis collocavit. Cui autem perinde est, vel habere, vel carere, tamquam rupes quædam immota stat, procellis vndique allisis & fractis, & circumlatrantibus duntaxat. Eiuscemodi rupes fuit ille, qui vndique & vndique dispoliatus dixit: *Nudus Iob. I, 21. egressus sum de utero matris mee, & nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccavit Iob labijs suis; neque stultum quid contra Deum locutus est.* Potest ergo aliquis fieri pauper, & non peccare; potest aliquid amittere, & nihil stultum contra Deum loqui. Quare non paupertas, sed improbitas, aut cupiditas, in causa est, si quis ad inopiam redactus, aut re aliqua priuatus insanit, quemadmodum, superius vidimus, Antonium Vrceum Codrum, Grammaticum, amisso per incendium libro, insaniuisse.

§. VII.

Ad utrumq; parati, & contenti exemplum.

AC